Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1971
Quelle:
Copyright:

Wolfg. Widman Cos. *Lips.* ad *Lutherum.* Petit certior fieri, an Epistola *n.* 10. allata reapse illius sit. Init: *Es wird ain Copey aines brieues in Eurem namen* &c. Die *Veneris post Georgii.* 1533. 14.) *Lutheri* Responsum. Jubetur Consul prius edicere, quis ad scribendum instigaverit, num *der pfarrer zu Coln, oder der Meuchler zu Dresden, oder aber nur Junkher Herzog Georg.* Init: *Ersamer Meister guetter fraindt, ich hab eur schrifft empfangen* &c. 15.) Ejusdem ad Cos. et Judicem in *Frauenstain.* Quid agendum iis, qui ad Communionem sub una specie adiguntur. Init: *Ich hab vernuhmen euer anligen* &c. Has Epistolas maximam partem impressas haberi, nullus dubito.

XIX. *fol.* 741. *Theophilus* et *Echo.* Dialogus geminus illi, quem *Cod.* CCCCLXXXIII. *Philalethis* et *Genii* diximus. Concilii *Tridentini* irrisio hoc ingressu: *Promptane eris Echo ad respondendum si quid interrogavero?* Echo. *Ero* &c.

DIV.

928 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 162. 4. quorum tamen non pauca vacua, compilatus est e variis Protestantium Epistolis, aliisque ad Sacra pertinentibus Scriptis hac serie. I. *Epistola Vitebergensis cujusdam ad amicum scripta.* Initium: *Quod Gregorius de Synodis sui temporis scribit, nullius vnquam finem vidisse bonum, quod* φιλονεικιαι *et* φιλαρχιαι *Theologorum verum eos cernere aut dicere non sinerent, idem multo ante de colloquio Aldenburgensi prædiximus* &c. Habitum est Colloquium istud inter Theologos Electorales et Ducales ab *Octob.* 1568. ad *Mart.* 1569. nullo fructu, Electoralibus crimen hallucinationis circa Justificationem, liberum Arbitrium &c. a se depellentibus.

II. *fol.* 5. *Epistola D. Cythræi ad Beatum ex Austria scripta.* Notum est, evocatum fuisse *Rostochio Dav. Chytraeum* ad ordinandos Protestantium in *Austria* Coetus. Interea *Joh. Beatus* sive *Saliger, Seliger* a *Lubecensibus* a. 1568. dimissus et a *Rostochiensibus* receptus in Ministerium opinionibus suis maxime circa S. Caenam turbas instaurabat. Hinc Monitoriae praesentes, datae, ut in Collectione *Epistolarum Chytraei Hanoviae.* 1614. p. 670. video, *Viennæ Austriæ, 18. April.* 1569. Quod Editor *Chytraei* Filius Patri ὁμωνυμος e calce resecandum duxit, e *Codice* subpleo: *Neque verum esse credo, quod ab omni pietate et humanitate alienum est, te amicorum literas et sermones priuatos et familiares ad alios efferre, et in publico iudicio dictare, tametsi inter cetera quoque ad me perscriptum est. Nec tamen impedio, quo minus hanc Epistolam, qui volet, legat.*

III. *fol.* 13. *Epistola D. Lucæ* (Backmeister) *ad M. Joannem Vorstium. Clarissimo et venerando*